

illegitima? Tunc utique de prole non est cur dubitetur, nam semper habetur ut legitima, cum impedimentum est occultum, et unus saltem ex conjugibus in bona fide versatur. Verum, si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione hujus matrimonii, suadet Pontifex ut per novas litteras exponatur S. Pœnitent. casus, vel recuratur ad episc. qui id suadebit quod erit opportunum. *Ibid.*, § 80, V. cit. art. 8, *ibid.*

(169. Matrimonio celebrato, non præmissis denuntiationibus, nec obtenta ea de re ab episcopo facultate, si assistat parochus, suspensione ad triennium plectendus est ex c. *Cum inhibito*, § final., a qua suspensione toto eo triennio absolvi ab episcopo nequit, ut ex Sanchez firmatur in tract. *De synod. diœces.*, lib. vii, cap. 69, § 2.

(170. Diebus, quibus interdiciuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, præcisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo, et pompa nuptiarum, ut ex cap. *Capellanus*, De fer., monent theologi, et notatur *Instit. eccles.*, 70, § 5.

(171. Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur, et quidem potissimum, benedictiones in Missali Romano expressæ. Vetantur vero illæ sub peccato gravi, ut ex Sanchez, aliisque notatur *Instit. Eccles.*, 80, § 7. Quare, cum temporibus feriatis permittit episcopus nuptias celebrari, nunquam licet benedictiones illas conferre. *Ib.*, § 2.

(172. Imo et tota missa pro sponso et sponsa omittenda est, cum benedictiones illæ pars ejusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est missa de tempore. *Ib.*, § 11.

(173. Ideo vero requiritur facultas episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quanquam illa sint de se licita) quia in synodis, ex consuetudine introducta, vetita illa habentur, quare requiritur, ut episcopi facultas intercedat. *Ib.*, § 4.

(174. Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis consummari possunt, ut ex sensu DD. theologorum statuitur, *ibid.*, § 17 et 18. Quare licita est traductio sponsæ ad domum viri, ut ex sac. congregat. firmatur, *ibid.*, § 21.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(175. Duo hic præcipue explananda sunt. Prius agendum de illis, qui concedere possunt licentiam assistendi loco parochorum matrimonii: disserendum posterius de conditionibus quæ matrimonii apponi solent.

(176. Possunt licentiam assistendi matrimonii loco parochorum concedere non solum ipsi parochi, sed et quicumque veniunt nomine ordinarii, puta *episcopi, abbates nullius*, etc. (177. Quinimo id ipsum permissum *vicariis generalibus, tum capitularibus*, etc. (178. Perez, *De matrim.*, disp. 41, sect. 1, n. 1, et plur. seq., modo tamen si cui conceditur hæc licentia sit sacerdos.

(179. De vicecuratis queritur, an et ii possint hanc licentiam assistendi matrimonii concedere? Et posse, non solum absentibus, sed etiam præsentibus parochis, pro-

pterea quod sunt ipsi ad universitatem causarum destinati, tradit inter alios mox laudatus auctor, *D. tract.*, disp. 40, sect. 6, n. 5. (180. Confer etiam Hurtad., *De matrim.*, disp. 5, diffic. 10, n. 34 et seq., ubi hanc etiam affert rationem, quod dare licentiam assistendi matrimonii non sit subdelegare jurisdictionem.

(181. Necesse vero haud est ut hæc licentia sit specialis, sed concessa intelligitur, si alicui sacerdoti facta sit potestas exercendi in parochia, quæcunque ad animarum curam spectant; Perez, *De matrim.*, disp. 4, sect. 1, n. 8. (182. Ubi quid, si data alicui sit facultas administrandi omnia sacramenta in parochia; Hurtad., *De matrim.*, disp. 5, difficult. 11, n. 36 et seq. (183. Utrum hæc licentia debeat esse expressa, an sufficiat tacita, vel præsumpta, et quando, vide apud eosdem *ubi supra*.

(184. Recte autem auctor n. 11 tradit matrimonium contractum coram sacerdote, qui habet licentiam assistendi ipsi matrimonio, sed eam ignorabat, invalidum esse. Quinimo id procedit, etiamsi licentia non ab alio, sed ab ipso sacerdote petita sit. Antequam enim ipse sciat concessam eam sibi esse, invalide matrimonio assistit, ut præter allegatos tradunt Pontius, *De matrim.*, lib. v, cap. 29, n. 8; Coninck, disp. 17, dub. 3, n. 32.

(185. An matrimonium valide contrahatur coram sacerdote, cui licentia assistendi ipsi matrimonio aut vi, metuque, aut dolo malo concessa est, ut si ementito nomine magnatis petita sit? Valide matrimonium contrahi, si licentia, vi, metuque sit concessa, communiter tenent Sanchez, *De matrim.*, lib. vi, disp. 39, n. 13, aliique relati a Perez eodem tract., disputat. 41, sect. 6, num. 2. (186. Cæterum distinguendum videtur licentiam vi concessam inter, et licentiam metu concessam. Si licentia vi sit concessa, nulla concurrat concedentis voluntas: « Vis namque absoluta uti in plane invitum exercetur, ita quoque omnem illius, qui eam patitur, excludit consensum » ut totidem verbis ex text. in c. *Sacris*, De iis quæ vi metusve causa ait Voet, in *Comment. ad Pandect.*, lib. iv, tit. 2, n. 1. (187. Quocirca non est, quod valide contrahi dici queat matrimonium coram sacerdote hoc, cui licentia vi est concessa. (188. Sin autem licentia sit metu concessa, non deest voluntas concedentis, et propterea sustineri potest, valide contrahi matrimonium coram sacerdote, cui licentia metu concessa est. De matrimonio vero contracto coram sacerdote, cui dolo malo licentia ipsi matrimonio assistendi sit concessa, vide Perez, *De matrim.*, disp. 41, sect. 9, per tot.

(189. Sacerdos, cui concessa est licentia assistendi matrimonio, non secus ac parochus, valide potest assistere non solum in parochia, sed et extra diœcesim; Pontius, *De matrim.*, lib. v, cap. 29, n. 9 et 10; Perez, eod. tract., disp. 4, sect. 3, per tot.

(190. Quod attinet ad conditiones quæ matrimonii apponi solent, eæ non aliter

applicatæ censentur, quam si coram parochio, et testibus exprimantur. Quocirca, etiamsi constet, quod antea contrahentes manifestaverint velle contrahere sub hac, vel illa conditione, ipsam vero non expressissent coram parochio et testibus, matrimonium pro puro haberi debet: Rot. inter impressas apud Ursayam tom. II *De miscellan.*, decis. 37; n. 10. et in *Posnanien. seu Varsavien. matrimonii*, 26 Jun. 1747, § 6, cor. *eminentissimo Bussio*.

(191. Apponi vero matrimonio haud potest conditio contra substantiam ipsius, et appositæ vitiati ipsum matrimonium; D. Avezan., *De matrim.*, c. 8, per tot.

(192. Quid juris erit, si conditio impossibilis, vel turpis fuerit adjecta? Eam vitiari, et non vitiare matrimonium, modo contra substantiam matrimonii non sit, definivit Gregorius IX in c. final. *De condit. apposit.*; D. Avezan. loco mox citato; Perez, *De matrim.*, disp. 16, sect. 3, per tot. Vide et eum sequente sectione hoc ipsum argumentum exornantem.

(193. De conditione: *Si te virginem reperero*, quid dicendum? Ita Rota de ea sensit in d. *Posnanien. seu Varsavien. matrimonii*, 26 Jun. 1647, § 8 et sequent., cor. *eminentissimo Bussio*: « Plane, inquit, in subjecta materia communis æque ac recepta apud doctores invaluit distinctio, quod conditio isthæ in ipso actu celebrati matrimonii adjecta: *Si te virginem invenero*, tum demum sustineatur, ubi, et quatenus de illius implemento cautum fuerit modo prorsus licito, ut nempe honesta fiat virginitatis exploratio per inspectionem matronarum, vel accurata præmittatur inquisitio vitæ, ac morum puellæ; eoque casu adeo tenet ejusdem conditionis adjectio, ut si hæc deficere comperiat, matrimonium utcumque in faciem Ecclesiæ celebratum, ob cessantem mutuum utriusque contrahentis consensum, dissolvi possit, etc. Secus tamen est, vel quoties eadem conditio adiciatur circa explorationem

MANDATUM

Noviss. additum.

SUMMARIUM.

1. Mandatum quid sit, et quomodo dividatur, ad n. 11. — 12. Qui possit mandare. — 13. An mandatarius possit mandare. — 14. Quidnam objectum mandati esse possit. — 15. An mandatum in forma specifica per æquipollens possit impleri. — 16. Quid importat mandatum a lege. — 17. Quisnam possit

(1. Mandatum est « contractus bonæ fidei consensu constans, quo negotium honestum alteri id suscipienti gratis gerendum committitur. » Zoes, in *Pand.*, h. t., n. 1; Huber, *eod. tit.*, n. 1; Voet, *l. cod.*, n. 2, etc.

(2. Contractus iste mercedem respuit, ut is, qui ab amicitia originem trahit l. 1, § ult., ff. h. t., cujus officia gratis sunt præstanda l. *Obligatio* 1, in fin. h. t. Et quanquam merces interveniens faciat in aliam speciem contractum hunc transire § in *Summo*, fin.,

virginitatis faciendam per copulam, et inspectionem ab ipso conjugè peragendam, aliosque modos illicitos et inhonestos, vel quoties, nullo designato modo adjectæ conditionis purificationem assequendi, nec non una cum licita puellæ inspectione, severa morum inquisitione prætermissa, vir pluries cum uxore concubuit, et matrimonium consummavit: in his enim terminis nemo dubitat quin hujus generis conditio veluti turpis, et illicita pro non adjecta reputetur, vetitumque sit viro assertum proponere defectum virginitatis, adeo ut posthabito dictæ conditionis impedimento, conjugisque conquestionibus, partes judicis esse debeant in matrimonii dissolutione firmiter dene-ganda. »

ADDITIONO.

(194. « In Bulgaria provincia mos est, ut patresfamilias aliquando sibi in filios adoptent, absque tamen ulla juris solemnitate, aliquos pueros, vel puellas. Hujusmodi adoptati communiter inter catholicos ibi commorantes, veluti filii legitimi reputantur, adeo ut in hæreditate etiam succedant. Reverendissimus D. Joseph Roveranus, missionarius Congregationis S. Joannis Baptistæ, tunc vicarius Apostolicus Sophiensis, nunc archiepiscopus Marcianopolitanus, et vicarius patriarchalis Constantinopolitanus sacram congregationem de Propaganda Fide humiliter supplicavit, ut declarare dignaretur, an talis adoptio impedimentum pareret cognationis legalis. Eadem sacr. congregatio instantiam remisit ad sacr. congregationem Sancti Officii. Deinde in congregat. generali habita coram S. D. N. feria v, die 16 Aprilis 1761. Sanctissimus auditis votis, etc., reque mature perpensa, declaravit præfato in casu nullum exstare impedimentum, mandavitque instructionem efformari transmittendam laudato vicario Apostolico. »

MANDATUM

Noviss. additum.

mandatum suscipere, et quænam sit obligatio mandatarii: ad n. 19. — 20. Duplex actio oritur ex hoc contractu, quæ assignatur, ad n. 22. — 23. Quam culpam præstare debeat mandatarius: ad n. 24. — 25. Quot modis mandatum resolvitur: ad num. 34. — 35. Si quid obscuritatis mandatum contineat pro utro facienda interpretatio: ibi.

Inst. eod., hoc tamen non efficit *honorarium*, seu *salarium*, quod a mercede diversum est, etiamsi aliquando in jure nostro illud improprie *merces*, et quasi *merces*, et *merces officii* nuncupetur l. *Hoc jure* 19, § 1; l. *Aquilius Regulus* 27, ff. *De donat.*; l. 1, § *Divus* 13, ff. *De extraord. cognit.*, magis autem proprie nuncupatur remuneratio l. 6, pr.; l. 7; l. *Idemque et* 10, § ult.; l. *Si vero non* 12, pr., ff. h. t., at de hoc plura vide apud Voet, in *Pandect.*, h. t., n. 2.

(3. Mandatum multiplex dividitur, aliud est *expressum*, aliud *tacitum*: illud verbis, litteris, nuntio exprimitur; hoc ex actibus colligitur, et quidem claris et perspicuis, sic qui præsens patitur, alium pro se fidejubeat, mandare intelligitur l. *Semper* 60, inf. *De reg. jur.*, l. *Si remunerandi* 6, § *Si passus* 2; l. *Qui patitur* 18; l. *Qui fide* 53, h. t., hoc autem ex ea vulgatissima regula receptum habetur, quia tacens consentire videtur c. *Qui tacet* 43, *De r. jur.*, in 6. Secus autem, ubi clara et perspicua non sint circumstantiæ, pro consentiente haberi non potest l. 8, § 1, *De procurat.*; Huber., *Prælect. jur. Rom.*, tit. 27, n. 2, et in dubio mandatum intercessisse non præsumitur, sed tanquam quid facti ab eo probandum, qui se mandato ait instructum arg. l. 1, cod. *De mandat. principum*, cap. *Cum in jure* 31, *Extra de officii et potest. jud. deleg.*; Mantici., *De tacit. et ambig.*, lib. vii, tit. 4 et seqq.; Maschard. *De probat.*, conclus. 1008 et seqq., ad conclus. 1017.

(4. Uti interponitur, sic recte suscipitur mandatum *vel expresse, vel tacite*. Monendum tamen, quod non ex solo silentio arguitur mandati acceptatio: l. *Filiusfamilias* 8, § *Inventus* 1, ff. *De procurat.*, arg. l. *Qui tacet* 142, ff. *De reg. jur.* Sed res ipsa, et factum concurrat necesse est, veluti adimplendo ea, quæ mandata fuerunt, ut animus mandatarii quoad illius acceptationem recte declaretur: Voet ad *Pand.*, lib. xvii, tit. 1, § 3. Mandatum præterea tacite acceptasse videtur et is, cui per litteras aliquid fuerit commissum, nec is, quantocius rescribendo, mandato renuntiet, præcipue vero si alias talia mandata sic acceptaverit, et executioni demandaverit: arg. *Si filiusfamilias* 16, ff. *ad SC. Maced.* *Castalius* ad l. 27, ff. h. t. Hugo Grotius inter *Resp. jurisc. Holl.* part. iii, vol. II, cons. 180, num. 1; Ant. Matthæus, *De obligat.*, disput. 24, th. 2; Wisembeck, ad *Pand.*, h. t. num. 2.

(5. Mandatum rursus dividitur in *judiciale*, sive *ad lites*, et in *extrajudiciale*, sive *ad negotia*, de quo hic. Zoes., h. t., num. 2. Utrumque vel est *in rem suam*, vel *in rem alienam*, distinguente Huber., *Prælect. jur. Rom.*, tit. 27, lib. iii, num. 2, quem vide.

(6. Altera mandati divisio est quod sit *universale*, vel *generale*, quo universitas negotiorum mandatur, l. 58, et seqq. *De procur.*, alterum speciale quod de certis rebus est datum. Vide Zoes., h. t., n. 2, et Huber., *Prælect. jur. Rom.*, lib. iii, tit. 27, sub. n. 1. Mandatum generale a nonnullis dividitur in mandatum generale *simplex*, et *cum libera*, perinde ac si minus habeat facultatis, qui habet mandatum generale *simplex*, quam qui illud habet *cum libera*. Hæc sane divisio a cultioribus in jure peritis merito reprobatur, eo potissimum, quod tantum tribuunt mandatario generali *simplici*, quantum mandatario generali, *cum libera*. Vinn., *Inst. Comm. de rerum divis.*, lib. ii, tit. 1, § 42, *Nihil autem*; Cujac., tom. V, pag. 1151; Samuel Cocceius, lib. iii, tit. 3, tom. 1, *De procurat.*, quæst. 1. Dum enim generaliter,

et absque ulla restrictione universorum bonorum tradita est administratio, *cum libera* semper tradita intelligitur, secus non esset universorum bonorum; l. 17, in fin.; l. 1, § 1, ff. *De offic. proc. Cæs.*; Donell., *Comment. jur. civil.*, tom. V, pag. 235, n. 32, et in not.; Hillig, 31, tom. 1, pag. 735, § 11 et seqq. Accedit etiam, certam et indubitam rei gerendæ potestatem eum accipere, cui specialiter quid mandatum est, et mandatum non egreditur; et tamen ubique comparantur procurator, cui specialiter quid mandatum est, et procurator universorum bonorum, seu rerum omnium l. *Jusjurandum quod*, § ult., ff. *De jurejur.*; l. *Solutum*, § ult.; l. *Vel universorum* et seqq., ff. *De pignor. act.*; l. *Nam et nocere*, ff. *De pact.*; Mozz. *De contract.*, tract. *de mandat. et de divis.*, n. 3. Vide Vinn., *Jur. quæst.*, lib. 1, cap. 9, per tot.

(7. Ulterius ipsa nec fert ratio, ut perpetuam in procuratoribus potestatis differentiam ex clausula *cum libera* colligamus. Revera procurator simplex omnium bonorum habet jus novandi l. 20, § 1, *De novat.* transigendi, l. 12, *De pact.*, jusjurandum deferendi l. 17, § ult., ff. *De jurejur.*, adeoque et alienandi. Quod si de procuratore *cum libera* agamus, hic exigendi jus habet l. 58, *De procurat.* Posita itaque inter utrumque procuratorem differentia, quod concessum est procuratori *cum libera*, denegatum censebitur procuratori omnium bonorum simplici. Quid! Estne majus exigere debitum, quam transigere? Cum autem procurator simplex generalis transigendi jus habeat, poterit multo magis exigere, et sic non differet ab eo, qui mandatum habet *cum libera*. Dein plus est solvere, quam exigere, solvere autem potest simplex procurator l. 87, ff. *De solut.* Ergo quod minus est poterit et exigere, uti directe imo probatur ex l. 34, § 3, *De solut.* Ulterius etiam, si solvere potest procurator generalis simplex, si solvere est alienare, quid ni et alienare?

(8. Cæterum hoc ipsum comprobatur ex l. *procurator tutorum*, et ex altera l. *Qua ratione*, § *Nihil autem*. Intellectus enim primæ legis apertus est, nimirum, quod procurator generalis simplex facultatem habet alienandi, dummodo domini sui rem utilem ex Mozz. *De contract.* tract. *de mand.* n. 57. A qua legis dispositione altera non differt, in qua de procuratore generali *cum libera* habetur mentio. Ubi enim in dicta lege dicitur: «Si quid procurator universorum negotiorum vendiderit, et tradiderit, *ex his negotiis* dominium transferri, » intelligendum est, dummodo talis traditio, vel venditio sit *ex negotiis*, id est *ex ratione negotiorum*, seu melius bonorum administrationi maxime expediat, vel quia res esset peritura, vel ob deteriorationem. Utramque legem explicat sic Donell., *Comment. jur. civ.*, tom. 1, lib. iv, cap. 15, n. 11 et 12.

(9. Ob stare videntur haec dictis l. *Filiusfamilias* 7, *De donat.*; l. 60, ff. *De procurat.*, et altera l. 60, ff. *Mandati*; conciliantur tamen egregie apud Samuel Coccei,

lib. iii, tit. 3, quæst. 1, obj. 2 et seqq. *De procur.*, et apud Mozz., *De contract.*, sub tract. *de mandat.*, n. 54.

(10. Est et altera mandati divisio a fine desumpta, pro quo mandatur. Mandatum enim contrahitur aut *solius mandantis gratia*, § 1 *Inst.*, h. t., l. *Quintus Mutius* 48, § 1, ff. h. t., vel *mandantis et mandatarii*, vel *mandantis et aliena*, vel *aliena tantum*. Quæ partitio exstat et apud Cajum l. ii, pr. ff. h. t., et *infr.*, h. t., pr., et § 2, 3, 4, 5, vel denique *mandantis, mandatarii, et aliena*, cujus exemplum vide in l. *Si procuratorem* 8, § *Si tutores* 5, ff. h. t. At si mandatarii tantum gratia mandatum interponatur, forma tantum externa mandatum intelligetur, sed erit consilium potius, neque vim obligandi habebit. Sibi enim quis imputet, nisi prius exploraverit an expediat consilium sequi nec ne? L. *Mandatum* 2, § ult., ff. h. t., § *Sua tantum* 6, *Inst.*, h. t. Casus tamen excipiendus, quo consilium fraudulentum datum fuerit, tunc enim actio de dolo est: l. *Consilii* 47, ff. *De reg. jur.*, l. *Idemque* 10, § *Si quis ea* 7, in fine, ff. h. t., et Zoes., in *Pand.* h. t., n. 4. Fraus vero consilium dantis non æstimanda est ex eventu, sed ex intentione consilium dantis; vide Zoes., loc. cit.

(11. Tenebitur etiam ex consilio, quamquam non fraudulento, mandans, qui consuluit, ut certæ personæ alias non crediturus, pecuniam crederet. § *Qua tantum* 6, *Inst.*, h. t. Quod etiam placuit Ulpiano in l. *Si remunerandi* 6, § *Plane* 5, ff. h. t., et hoc ex ea ratione, quia commendatio certæ personæ facit consilium transire in mandatum: d. l. 6, § *Si tibi* 4, h. t. Quarum mandati specierum exempla vide apud Huber., *Prælect. jur. Rom.* lib. iii, tit. 27, sub n. 4, per tot., et fuse apud Voet, in *Pand.*, ff. h. t., sub n. 4, per tot.

(12. Verum cum mandatum sit contractus, hinc est quod mandare possit qui potest contrahere. Zoes. in *Pand.*, h. t., n. 5, Voet., l. c., n. 5. Mandare itaque nequit pupillus, furiosus, prodigus, nec mulier in causa aliena, quia propter hoc intercedere videtur l. *Si mulier* fin., § *Mulier* 4, *Lup.* ad *S. C. Vellei*. His adde minores quoad actus judiciales, cum personam legitimam standi in judicio non habeant, et servos: l. *Servum* 33, sup. h. t.

(13. Illud etiam fortasse quæri potest, an recte mandet mandatarius? Affirmative respondet jurisconsultus in l. 8, § *Si quis* 3, h. t., quæ regula indistincte obtinet quoad negotia, nisi sit electa industria personæ. C. *Is cui* 12, *De offic. potest. jud. deleg.*, in 6; Zoes., in *Pand.*, h. t., n. 6. Vide etiam Voet., ad *Pand.*, l. cit., n. 5. Quod si quis datus fuerit procurator ad lites, tunc recte non substituet, nisi quis vel datus fuerit procurator in rem suam, vel litem fuerit contestatus, cum fiat ex tunc dominus litis. Zoes., l. cit., n. 6, et Voet. d. l. sub n. 5.

(14. Mandati objectum sunt res licitæ et honestæ. Cum enim contra bonos mores nulla subsistat obligatio, ita neque mandatum potest subsistere: l. 6, § 3, h. t., l. *Nec permittendum* 57, *Pro soc.*; *Generaliter* 26, cum

seq. l. *Si flagitii* 123, *De verb. obl.*; Huber., *Prælect. jur. Rom.*, l. cit., n. 5; Vinn. *Inst.*, h. t., § 7, n. 1. Quinimo tum mandatorum rei turpis, tum executor tenetur ad pœnam tam damnem passo, quam reipublicæ § 7, h. t., et uterque severe puniendus: l. 15, § 1, ad l. *Cornel.*, *De sicar.*, l. 7, § ult., *De jurisd.*, et l. 1, § 1, *De eo per quem fact.*, et Huber., loc. cit., n. 5, et l. 5, cod. *De accus.*; Heinke., ad *Pand.*, h. t., § 235. Nulla igitur actio nascitur inter mandatorem rei turpis, et mandatarium, quapropter nec mandans de implemento mandati semel suscepti, vel ad id quod interest, nec mandatarius ad suis ipsius indemnitate recte contendit: § *Illud quoque* 7, *Inst.*, h. t., l. *Si remunerandi* 6, § *Rei turpis* 3; l. *Si mandavero* 22, § *Qui eadem* 6, ff. h. t. Sive etiam in exsequendo mandato impensas fecerit: Voet., ad *Pand.*, l. cit., n. 6.

(15. Celebrem olim fuisse quæstionem testatur Cellius lib. i, cap. 13, an mandatum in forma specifica per æquipollens perfici possit. Hujus quæstionis resolutio ex una pendet interpretatione consilii, et voluntate mandantis. Si igitur ex substantia mandati aperte colligatur aliquid specificè commissum fuisse, quia mandans alias utilius rem geri non posse arbitrabatur, mandatum per æquipollens impleri posse arbitrator, si æque mandantis desiderio satisfactum appareat: l. 5, § ult., l. 46, l. ult., ff. *Mandat.*; Lampred., *Jus publ.*, cap. 11, § 10, in fin.; Vinn., *Inst.*, h. t., § 8, n. 1, in fin.; Grotii *Manuduc. ad jurispr. Hol.*, lib. iii, c. 12, num. 12.

(16. Hactenus de mandato ab homine. Sunt etiam qui habent mandatum a lege; Mozz., *De contract.*, tract. *de mand.*, n. 63. Tales sunt tutores, qui pupillorum rei administrandæ præsent. Hi tamen ex lege mandati rem pupillarem nequeunt alienare, nisi causam judex cognoscat, et secum interponat decretum: text. in l. 1, ff. *De reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt*; l. *Lex quæ*, cod. *De administrat. tut.*; Cujac., tit. *De præd. et al. reb. min.*; l. *Et si sine* 4, cod. *Quando decret. opus non est*; et late Pugas, *De reb. eor. qui sub tut.*, n. 22 et seqq., n. 38 et 40; l. *Sed si pecunia* 3, § *Si jus*, ff. *De reb. eor.*; l. *Etiam* 13, cod. *De præd. et al. reb. min.* Vide etiam Mantici., *De tacit. et ambig.*, lib. vii, tit. 2, n. 13.

(17. Mandatum suscipere potest quilibet qui se obligat contrahendo. Sic recte mandatum suscipit filiusfamilias: l. *Quod pen.*, ff. h. t., cum obligare se possit. Nec minus recte mandatur mulieri, modo virile negotium sub mandato non comprehendatur l. *Ait prætor* 1, in pr., ff. *De negot. gest.* Quod si de stando pro alio in judicio res sit, neque minor a mandati susceptione excluditur, uti colligitur ex § *Eadem lege* 4, *Inst. Quib. ex caus. manumitt. non lic.* Ut enim animadvertit Cujac. 22 obs., cap. 16, sibi mandans imputet, si a minore minus recte demandata causa fuerit defensa. Casus tamen excipiendi, in quibus minor restitui possit, vel quando sponte defensio-